non sine laude tui nominis et virtutum tuarum. Quid enim vel honestius optare, vel studiosius facere non potuissem, quam cum hominem inserere, cuius prudentia, et auctoritate universus orbis terrarum gubernaretur. Nam si Scipiones et Cesares tuos legis vehementissime ad gloriam incendi solere, dum intuerentur maiorum statuas illas [gdem] marmoreas. Nos nihil inflamabimur ad laudem, ac probitatem, intuentes vivam ipsam ymaginem divinos oculos, et virtute viva. Ego igitur et tibi gratias Regum serenissime, quippe ut natura benignus es si hodierno die in copiam tui feceris, a quo plane discessurus sum tamquam quodam lumine calefactus et incensus, tum ad virtutem, tum ad prestantissimorum hominum laudes, tuas presertim huius memorie commendandas. postremo, ne te ab honestissimis tuis officiis abducam, me pedibus subicio deferens, quantum vel ingenio, vel industria, vel fide me forte existimas posse ad laudem illius, qui te preesse hominibus voluit. Vale.

~ Post actum gratiarum actio pro pulcra ~

VELLEM patres doctissimi eam mihi dicendi facultatem, aut natura insitam aut arte comparatam esse, ut quod animo concipio, id vobis lingua mea exploratissimum efficere possem, ostenderem profecto quantum de me benemeriti essetis: quantumque vobis vestrorum erga me multitudine, ac magnitudine meritorum devinctus forem. Non tamen ut vobis pares gratias vobis agi posse puto. Res enim non patitur vobis satisfieri. Conabor ut saltem persuasum esse non latere me, quantum grati ingratis prestent, et quantum laudis hi, quantum reprehensionis illi mereantur. Nam horum exemplis, qui grati sunt, beneficia generis humani nutriuntur et augentur et iuvandi, et benemerendi cupiditate flagrant. Illi non sunt ingrati, et dandi et accipiendi commercium, sine quo vis, vita hominum extat, tollunt, cum benemeritis gratias refferre negligunt. Contra quos ut ait Valerius, actio Athenis constituta erat eiusmodi crimine, quantum fugiendum sit. Lucius Silla optimo ex cursu declaravit, qui cum dictatus summa potestate preditus esset, dignitatis tamen potius quam beneficii immemor privato Pompeio et caput adoperuit, et sella assurrexit, et equo descendit, eaque se libenter

Valerius

Lucius Silla

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0070

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG